Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 1919
Quelle:
Copyright:

Sermo de omnibus Sanctis 1431. Ad Academicos. Thema: *Laudate Dominum in sanctis eius.* Pſalm. 150. Initium: *Etſi ſingulorum ſanctorum natalicia* &c. Ambitur utrinque hic Sermo *fol.* 176. et 189. Epiſtola in cauſſa litis inter *Albertum* Ducem *Auſtr.* et *Leonhardum de Layming* de Epiſcopatu *Paſſavienſi*, quae notulis meis interſtincta conferri poterit cum narratione *Hanſizii* de eodem negotio T. I. *Germ. ſacrae* a p. 504. Ita vero habet: *Reuerende Pater in vigilia penthec. intrauimus* (Theodoricus de Hamelburg et Paulus de Vienna Oratores Alberti a. 1426.) *vrbem, et poſt tercia feria fuimus per d. n. dominum papam* (Martinum V.) *coram dominis Cardinalibus et pluribus alijs extenſe et pacienter auditi in Conſiſtorio ſecreto, ubi dominus Papa queſuit de ſtatu Illuſtris principis et domini noſtri Domini A* (lberti) *ducis Auſtrie &c. domini noſtri gratioſiſſimi et domine noſtre contboralis ſue* (Mechtildis Palat.) *et ſi haberent prolem. Et reſpondit nobis, quod ſuper reſponſo nobis dando vellet deliberare, ſicque conſequenter viſitauimus omnes Cardinales, qui nos benigne receperunt et bona uerba dederunt preter D.* (Nomen eraſum) *qui nos nec ſuſcepit nec nobis recedentibus vale dixit, ſed nobis auditis dixit, ſe de bona conſcientia non poſſe ſentire pro domino noſtro; verum finaliter habitis multis replicationibus dixit, quod iuſticia non poſſet negari domino noſtro, in quo etiam omnes concordant, ſed, vt ad partem intelligimus, forte offerent Judicem hic in Curia, qui ſtrepitu judiciario procedat, quod difficulter acceptabimus, niſi fuerit ſuaſum per fautores domini noſtri. Inſtamus pro translacione* (Leonh. Laymingii ad alium Epiſcopatum) *quam multi Cardinales aſſerunt eſſe honeſtiorem et Eccleſie vtiliorem, ſed adiungunt, quod* (nomen eraſum, ſed certe Leonhardus) *invitus non poſſit transferri propter Conſtitucionem Concilij Conſtan. et quando replicamus, quod hic ſubſit cauſa racionalis, dicunt, quod illa non ſit probata. Ideo iuxta conſilium domini placentini* (Brandae Card. Caſtillionei multum in Germania verſati) *preſentauimus cauſas, quas dominus noſter dominus Dux expoſuit domino Regi Romanorum* (Sigismundo) *contra lay.* (mingium) *duobus Advocatis, ut ex Jure huiuſmodi cauſas fundent, et placeret D. placentino, quod huiuſmodi cauſa ſic fulcite preſentarentur domino pape et Cardinalibus. Et hoc pluribus amicis placet. Alij amici diſſuadent. Habito reſponſo domini pape faciemus iuxta conſilium maiorum. In Conſiſtorio ſecreto decem* (Ciaconius XII.) *noui Cardinales fuerunt beri* (24. Maji) *pronunciati, inter quos vnus eſt dominus Epiſcopus Olomucen.* (Johannes de Praga, al. de Bucca, Ord. Praemonſtr. quem Papa mox Vicarium in hac cauſſa conſtituit,) *qui iterum in publico pronunciabuntur, ob quod D. papa impeditus* — Hic Codicis dorſum ſubit Epiſtola, et iterum emergit

in